

multus Pastorum, Episcopis, & Sacerdotibus curam animarum gerentibus ad munus optime obeundum informandis apprime utilis, cujus adeo lectionem amico Episcopo Franciscus Salesius Epistolâ mox à me laudatâ commendat. Alterum Bartholomaei à Martyribus librum, seu Compendium spiritualis Doctrinae, edendum curavit Ludovicus Granatensis, eique istud elogium praefixit: Quo tempore quidam de Mystica Theologia à Summis Viris, hoc est, Dionysio, Bernardo, Bonaventura, Gerone scriptum est, studio legens, has gemmas super aurum & topazion pretiosas Novis ministravit (Bartholomaeus à Martyribus) Quibus ego legendis tantopere delectatus sum, ut ferè affirmare possem, me nihil hactenus in vita legisse, quod acriter pios hominibus stimulos ad huius celestis Philosophiae amorem adderet, majoremque lucem his, qui huius studio dediti sunt, praeferret. In hoc Compendio spiritualis Doctrinae, quod concinnavit noster Bartholomaeus à Martyribus, memini me legisse Num. XXI. cap. 7. praecellam sententiam, quam hic praetermittere minimè debeo, quippe quae, instar Regulæ, te ad bene tutâque operandum poterit dirigere: In quolibet negotio agendo (inquit) si incertus sis, quid potius eligas, antiquam statuas, quid agendum sit, prius ipse considera, quid tu frater in ea re consuleres. Item, quid altaris esset, si instaret tunc hora mortis. Item, cogita, quid malles egisse, cum steteris in die iudicii coram Domino, & illud age. Si dubitas adhuc, elige illud, quod natura tua ac affectionibus molestius est, ac magis adversatur. Hanc verè auream Bartholomaei à Martyribus Sententiam si semper prae oculis habeas, certus sum, te in momentoso salutis tuae negotio opinionem minus probabilem minùsque tutam, relicta probabiliiori ac tutiori, nunquam secuturum. Postremo, ad bene instituendos mores tuos, sapienti leges Opera Moralia S. Theresiae Virginis, & Ordinis Carmelitarum exalceatorum Fundatricis dignissimæ, quæ germanam pietatem ubique spirant, Lectores celestis Doctrinae pabulo, ut ait Ecclesia, nutriunt, & ad summum perfectionis Vitæ spiritualis culmen provehant. Hos Sæculi XVI. Scriptores Asceticos, quos praesertim perpenla rerum spiritualium cognitio, librata iudicii maturitas, opinionum delectus, & servandæ Doctrinae Moralis castimonie studium commendant, nocturnâ debes versare manu, versare diurnâ. At quorundam Scriptorum Opera, quæ Ethicæ Christianæ integritatem labefactant, & in quibus nihil singulare reperire est præter promiscuam loquacitatem, temerariam, de rebus ignotissimis, & minimè meditatis aut digestis disse-

rendi fiduciam, incredibiles à veris putisque fontibus evagationes, inanes ratiunculas ad excusandas exculpationes in peccatis excogitatas, narum susurros, quodque gravius est, periculosas, & noxias in doctrina Morali opiniones, Vaticanæ Opera, quæ tibi, aliisque incautis venenum pinare possunt, ne digito quidem attingere debes, nedum legere; optandumque esset, ut in quibus propositiones aut sententiæ illi libri, solica proscriptæ vulgantur, recoquantur, restantur.

D. Cum vera virtus nihil aliud sit, quam scientia fugiendorum atque expetendorum, curabo, quam diligentissime potero, ut eos dumtaxat libros perolvam, qui mihi veræ, & Christianæ pietatis semina, Divinæ Legis amorem, atque salubris Moralis Doctrinæ Christianæ documenta intillare poterunt; ab his vero libris, qui meos mores corrumpere possent, & quorum immensâ mole oppressus jamjam genere capere universus literatus orbis, penitus abstinere, secutus hæc in re consilium Theophili Raynaudi Societatis JESU Theologi, qui, ut nuperimè legebam, in Opere, quod edidit de Malis ac Bonis libris, seu de justis aut injustis eorumdem confessione, hæc Erotemate primo scribit: Nihil deterius, inutilius, & damnosius scriptione malâ & libro malo; eoque virum non modo præsens, & raptem transiens, sed durabile, & in innumeros eadem nocendi facultate grassari aptum, continetur. Liber enim malus, non secus ac pannus pestilens, quoscunque attactu ejus pollui contigerit, facillimè inficit, atque in mortem abripit, quod malo suo compererunt, qui minùs caute se ea in parte gesserunt. Et, paucis interjectis, subdit: Sanè, si pravum Collocutorem, qui per paucos unâ operâ potest inficere, devitandum studiosè in confesso est, quia corrumpunt bonos mores colloquia mala, quanto certius est, devitandum esse autorem mali Operis, qui simul infinitos potest corrumpere. Prudentissimo itaque hujus Theologi Societatis JESU consilio utar, in tantis lascivientium Scriptorum æetis, non plus negotii deinceps cum illis, qui in doctrina Morali malè audiunt, habere volo, quam Romani cum Gallo-Provinciæ hominibus, quos hoc anno MDCCXX. peste afflatis esse dicunt, commercium aut societatem ullam, se habere velle optimo jure nuperimè, Pontificio promulgato Edicto, declararunt.

*
*
*

Finis septimi Tomi.



HISTORIA ECCLESIASTICA, VARIIS COLLOQUIIS DIGESTA,

QBI

PRO THEOLOGICÆ CANDIDATIS
RES PRAECIPUÆ, NON SOLUM AD
Historiam, sed etiam ad Dogmata, Criticam, Chronologiam,
& Ecclesiæ Disciplinam pertinentes, per breves Interro-
gationes, & Responsiones perstringuntur, & in
præclaro ordine collocantur.

TOMUS OCTAVUS, PARS PRIMA,

COMPLECTENS


SÆCULUM ECCLESIAE
DECIMUM SEPTIMUM;

AUCTORE

FR. IGNATIO HYACINTHO
AMAT DE GRAVESON,

Sacrae Facultatis Parisiensis Doctore, & Collegii Casanatensis
Theologo, Ord. Fratrum Præd.

EDITIO IN GERMANIA SECUNDA.



CUM PERMISSU SUPERIORUM.

Augustæ Vindelicorum & Græcii,

Sumptibus Fratrum VEITH, Anno MDCCXXVII.